



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ivstitia Et Ivre Libri Decem, Reuerendi P. F. Dominici
Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclariss.**

Soto, Domingo de

Venetiis, 1608

1 An pr[a]eter naturalem lege & humanam quæ ab æterna deriuantur,
fuerit diuina hominibus necessaria.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38878

FR. DOMINICI SOTO,
SEGOBIENSIS, THEOLOGI,

Ordinis Prædicatorum,

Liber Secundus de Iustitia & iure.

P R O E M I U M.

Argumentum hoc quod de legibus instituiamus, non modo quod non potest non esse prolixum, verum quod hac ratione erit distinctius, in duos libros distribuendum duximus. Igitur cum in Primo de lege naturali & humana, ab æterna derivatis, per quas homo ad finem naturalem ordinatur, satis disputatum pro captu nostro à nobis fuerit, sequitur ut in hoc Secundo de lege diuina disseramus, per quam ad supernam felicitatem promouemur. Nam quamuis materiam hanc, potissimum legis veteris, Diuus Thomas peregrege, ut plerique solent omnia, locupletauerit, non tamen erit omnino supernacanea, si Deus dederit opera nostra.

Materia
secundi
libri.

QVÆSTIO PRIMA, DE LEGE VETERI.

S. Thom. 1. 2. quæst. 98.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum præter naturalem & humanam, quæ ab æterna derivantur fuerit diuina hominibus necessaria.

S. Tho.



Primo ergo queritur in genere, utrum necessaria fuerit hominibus lex aliqua diuina supernaturalis: hæc enim questionem D. Tho. q. 97. disputauit. nos

tamen in hunc locum, ubi de lege diuina initium dicendi facimus, reposuimus. Arguitur ergo à parte negatiua: Lex naturalis est quedam ut dictum est, æternæ participatio, lex autem æterna est diuina, ergo, præter naturalem non opus erat alia diuina. Secundo, Deus, ut Eccle. 1. 5. legitur, dimisit hominem in manu consilij sui quod est rationis actus: ergo non opus habuit lege, quæ ratione sua esset superior, sed satis

humanis gubernari poterat, quæ per rationem constituuntur: eo præsertim quod humana natura, cum sit irrationalibus præstantior, sufficientior sibi est quàm brutis suis: irrationales autem creaturæ præter naturalem sibi inditam non indigent altiori lege: ergo neque homines. Tertiò arguitur: Esto, diuina lege opus nobis fuerit abundabat tamen vna, tum quod regnum caelorum vnum est, ac regis vnus, secundum illud Psal. Rex omnis terræ Deus, & inventio legis vna vult enim per eam Deus (ut ait 1. ad Tim. 2. Apostolus) omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Atque ob id maxime, quod lex naturalis ab æterna decessens, vna est, ac perinde diuina quo propinquior est æterna deberet esse magis. In contrarium est

Argu. 2.
Paulus.

Pl. 1. 2.

est postulatō illa Davidica. Legem pone mihi Domine, viam iustificationum tuarum. Vbi indignitatem humanam designavit: quæ cum naturali lege sibi non sufficiat, alioquin extorquet. Sed & quod fuerit

Paulus.

Partitio
diuinæ
legis.

Prima
conclu.

S. Tho.

Prima
ratio.

Secunda
ratio.

Ad intelligentiam quæstionis ex superioribus recolendum est, quemadmodum diuina lex, duplex dignoscatur, videlicet æterna, & positiua. Æterna enim est sua ipsius essentia, quæ fons est abyssi, & lumen, unde omnis scientia lexque promanât, diuina vero positiua est, illius participatio nobis porro data inque nostris cordibus, ut ait ad Corint. Pauli scripta. Et de hac instituitur præfens quæstio. Ad quam duab. respondetur conclusionibus. Prior est. Præter naturalem legem & humanam necessariam fuit ut aliorum nobis poneretur (ut ait David) quæ ideo dici positiua, & significantius diceretur posita. Hanc conclusionem quatuor rationibus fundauit S. Tho. quas ex illo Davidico oraculo luculenter elicit in Psal. 18. Lex Domini immaculata, conuertens animas Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis. Prima enim ratio sumitur ab hominis fine. Enim uero si nostra natura alius non fuisset sublimata, quam ad finem naturalem, qui eius non exuperat vires, neque sublimiori alia indigeret speculatiua cognitione, neque lege attamen cum eo (quod nos Deus ad suam imaginem creauit atque adeo capaces sui ipsius per eius visionem fecit, quem scopum nostris viribus cōtingere nequimus, necessaria nobis fuit, primū in intellectu speculatiua fidei cognitio, quæ scopum nobis illum, sperandaque bona (ut ait Paulus) ostenderet, quod nostra est dirigenda vita, sicuti sagittario necesse est signum intueri, quod ferire parat, mox & in intellectu practico lex quoque naturalis excellior, quæ nobis esset officiorum regula quibus eandem felicitatem adipisceremur. Ac perinde in voluntate specialius singulari quoque auxilium, quàm quod rerum natura gubernatur, per quod affectus nostros illuc valeremus referre ac promouere. Atque hanc intentionem tetigit Pl. membro illo postremo, Sapientiam præstans paruulis. Homo si quidem in sua existimatus natura pusillus est, atque imbecillior qui ut possit metam illam pertingere, nisi supernæ suffecta nobis esset, superna

illis sapientia. Secunda conclusionis ratio sumitur ex necessitate informandi humana iudicia. Enim uero, cum actiones nostre circa singularia contingunt, versentur, quæ lubrica fallentiaque sunt, ac subinde diuersis ingenijs varia iudicia progignunt inde nascitur legum humanarum diuersitas apud diuersas nationes, ut aliud fuerit Atheniensium ius, aliud Romanorum, atque aliud Hispano, & Gallio aliud. Igitur necesse fuit, ut diuisus nobis illuc sceret lex, quæ fidelissima esset, certissimaque norma ad quam omnes humane exigeretur & collimarentur, & per quam scire homo certo posset quid sibi congruens esset, quid verò nocēs. Talis enim est decalogus, in tabulis à Deo insculptus, ac Euangelium in nostris impressum menibus. Atque hæc de causa David appellauit legem, testimonium fidele. Etenim humana lex nulla exiit sitque adeo certa & stabilis.

Tertio, eadem lex fuit nobis necessaria propter absolutam nostram iustitiam. Hec enim non tamē in externis officiis posita est quam in us in animo. Nam ex corde, ut ait Christus, exeunt cogitationes prauæ, atque inde opera, puta, adulteria, homicidia, &c. homines autem, quia alienorum cordium latebras nequeunt inspectas habere, non valent suis legibus internos actus repurgare. Necessaria ergo fuit lex Dei, quæ non solum manum, verum & animum prohiberet, utpote quæ non furtum tantum atque adulterium, verum & istorum concupiscentiam compelleret. Et hoc significatur illo secundo membro Davidicæ sententiæ, Conuertens animas, nimirum quod diuina lex, non modo operum prauitatem cohibet, verum & penetralia cordium perpurgat.

Quarta demum causa diuinæ legis fuit, quæ ut auctor est 1. libro de libero arbit. Augustinus, humana nequeunt vitia cuncta, quamuis extra, cohibere, imò neque debent. Nam si cuncta supplicij coercere satagerent, tum multa impedirent bona, tum & ciues in peiora truderent flagitia. Videlicet, si omnia mendacia acri supplicio vindicaret, non esset qui loqui auderent, & si meretrices abigerent, animum porrigerent ad peiora. Necessaria ergo fuit lex quæ ante Dei tribunal vniuersa vetaret, quippe quem vniuersa punire, nullum est periculum, sed a quissima iustitia. Atqui hoc sonat primū eiusdem Psalmi verbum: Lex Domini immaculata:

Tertia
ratio.

Mat. 19

Quarta
ratio.
August.

Vhima
conclu.Rō con
dulsiois.

Paulus.

maculata, id est, neque minimas turpitudinis sordes admittens, sed cunctas detergens. Posterior conclusio. Hanc diuinam legem in duas esse diuisam, quae non prorsus duae essent species, sed veluti imperfectum ac perfectum eiusdem specie distarent, conuenientissimum fuit ac diuina sapientia dignissimum. Ratio autem conclusionis, licet sanctus Thomas eam missam fecerit, tamen & ex legis celsitudine, & ex hebetudine uature nostrae planè colligitur. Enimvero cum lex diuina tam longe pusillitatem ingenij nostri exuperet, genulq; nostrum veluti per omnes aetates adoleuerit non debuerunt tam alta mysteria humano generi pueritiam agentis concedi, nam illa tunc non caperet, sed opere pretium fuit prophetarum ora culis futurorum quae figuris ac demum caeremoniarum significationibus quasi sub pedagogo imbui, donec illis assuerum ad iustitiam perueniret aetatem, quae Deum factum hominem tam longa expectatione optatum agnosceret, ac de Trinitatis arcanis praedicantem idonee audiret, ac demum tanquam olim sibi promissum suscipere. Expediens ergo fuit ut vmbra illa illa lex veritatem nouae antecederet. Atque haec est Apostoli doctrina ad Galat. 3. Itaque lex pedagoga noster fuit in Christo. At ubi venit iudas, iam non sumus sub pedagogo, omnes enim filij Dei estis per fidem. Et ca. 4. Cum essemus paruuli sub elementis huius mundi eramus seruientes: at ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, &c. Hic autem ab imperfecto progressus ad perfectum ex triplici capite perpenditur, nempe ex fine quo lex ducit, ex iustitiae ordine quem constituit, & ex modo quo subditos cogit. Ex fine inquam, quod illa bonum sensibile ac terrenum pro brauiis proponebat. Sed de hoc discrimine luculentius quaestione proxima, artic. 3. Secunda distantia, quia lex illa veluti puerorum ac seniorum pedagoga, a nostra, Euangelio fruendum, elongabatur. est quod illa non sicut nostra internam cordium iustitiam explicabat, non quod in alas cupiditates non retransferebat, erat enim in decalogo. Non concupisces rem proximi tui, non virorem, &c. Verum quod Euangelium cogitationum puritatem explicatius reuocavit: Qui vident mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est. Et qui

irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Ob idque ait, Nisi abundauerit iustitia uestra plus quam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum coelorum. Tertium interuallum est in modo cogendi. Illa enim poenarum potissimum metu veluti pueros ac senos urgebat, nostra vero amore quo peccata nostra Christus iustificat, nos allicit. At vero de hoc pariter articulo citato q. seque. commodior dabitur dicendi locus.

Ad primum ergo argumentum responsum est, quomodo haec positiua Dei lex differat ab aeterna, & qua ratione sit praeter naturalem nobis necessaria, nempe quod naturalis quae naturae nostrae capacitatem non excedit, ordinet nos in finem naturalem, sed diuina, per quam aeterna altiori modo nobis participatur, euehit nos ad supernaturalem. Et pariter respondetur ad secundum, quod licet consilium, opus sit rationis, necesse tamen est supernaturali lege informati. Atque in hoc praeclearius nobiscum & excellentius factum est, quam cum irrationalibus animantibus. Nam illa ad naturalem duntaxat finem, qui humilis est ordinem habent, quem et si suis uiribus adipiscantur, nihil egregium est. Nos uero ad supernaturalem felicitatem creati sumus, quod quidem ineffabile beneficium praecunctis corporeis creaturis Deo debemus quo ideo per se natura nostra pertinere nequit. Sed tamen, cum Aristotele auctore, id est quod per amicos possumus, per nos ipsos quod imodo possumus hoc quoque hominis excellentia patet, quod sic est Deus paratissimus nobis suppetias ferre, ut nunquam nisi ob nostram culpam nobis desit. Tertium autem argumentum id precise probat, quod incongruens fuisset duas ab uno dimanare Deo leges, sic prorsus distinctas, ut sunt leges diuersarum gentium, fuit nihilominus expediens ac decorum, ut uetus Deus ad eundem finem alia praeccepta poneret imperfectis hominibus, quibus ueritatem quasi sub pedagogo conueniebat degeat, alia uero ad uitam iustam prouectis, eo potissimum quod salus nostra, quatinus est legis, per Christum nobis erat obtinenda, cui perinde competebar perfectam legem ponere. At nihilominus oportebat & per alteram mandatum ad eius susceptionem (ut dictum est) praeparari. Lex autem naturalis, quia uniuersalis, de iure & iur. F. uer-

Ad pri
mū arg.Ad secū
dū arg.Ad ter
tiū arg.

ut salia continet præcepta, eademq; adeo cunctis mortalibus cuiuscunque sint conditionis communia, nequit nisi una esse.

ARTICVLVS II.

Vtrum lex vetus fuerit bona.

Quoniam consuevit humana natura habefactari, ut non defuerit Manicheorum caterua, qui contra veterem legem malam, a maloq; Deo conditam oblarasset, queritur an fuerit bona? Et arguitur a parte negatiua: Multa scripta sunt in veteri lege, noua repugnantia, ut primum ipsum verbum: In principio creauit Deus caelum, & terram. Cuius contrarium asseritur Io. 1. Mundus per ipsum, fuerbum, factus est, & sine ipso factum est nihil. Mox & illic legitur requieuisse, die septima Deum ab omni opere quod patrauerat, & tamen Io. 5. ait Christus, Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Secundo, Deus ipse facitur Eze. 20. dicens, dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non uiuent, lex autem de præceptorum qualitate existimatur, ergo lex illa non fuit bona. Terrio, Ad bonitatem legis duo sunt potissimum requisita, ut supra nos Isidorus docuit. Primum, ut communi animarum saluti consular, mox ut sit obseruatum non difficile, humanaque consuetudini accommodata, neutrum autem istorum erat in illa lege, Ait. n. quantum ad primum Paul. ad Rom. 5. Lex subintravit ut abundaret delictum, & cap. 7. Sine lege peccatum mortuum erat, ego autem uiuebam sine lege aliquando, sed cum venisset mandatum peccatum reuixit, ergo autem mortuus sum. Et de secunda qualitate ait Petrus actuum 15. Quid tentatis ponere iugum super cernicem discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Lex ergo illa non erat bona. Quarto, Si lex illa bona fuisset, eo maxime quod Dei sanctio fuit, Deus autem non apparet fuisse eius conditor, primum, quia ut habetur Deut. 32. Dei perfecta sunt opera, lex autem nihil ad perfectum adduxit, ut ad Heb. 7. auctor est Paulus: Mox quod deberet esse perpetua. Lex autem illa cessauit, ut ibidem Paulus docet propter eius infirmitatem. Imò, quia (ut dictum est) occasio erat peccati, ergo non fuit a Deo lata atque adeo neque inde po-

test probitas colligi. Quinto, Si Deo latore bona esset, concedens fuisset, ut per angelos, qui (ut est in Psalm.) sunt Dei ministri, fuisset lata, at vero non per angelos, sed ore Dei prolata fuit. Legitur. n. Exod. 20. Loquutus est Dominus sermones hos. Et statim, Ego sum Dominus Deus tuus. Quod vilius ministerio usus est, ille fuit Moyses, secundum illud Ioan. 1. Lex per Moysen data est. Et illud Exo. 33. Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem. Nil ergo restat unde probitas illius legis elici possit. In contrarium autem est Paulinum oraculum ad Roma. 7. itaque lex quidem sancta est (loquebat autem de veteri) & mandatum sanctum & iustum & bonum.

Ad questionem hanc tribus conclusionibus responde Prima, Lex vetus (ut ait Paul.) fuit sancta & iusta & bona, atque omnibus suis causis congruentissima, tamen non vndequeque abioluta & perfecta. Conclusio hæc per omne causarum genus asseritur & confirmatur Primum, ex ratione vtriusque obiecti, scilicet tam materia, de qua præcipiebat, quam formæ & figuræ præcipiendi. Fuit enim tum morum compositio, tum & futurorum ymbra, & vtriusque bona. Enimvero cum duplex sit in nobis ratio, sicuti veritas, speculaticum scientiarum inde perpenditur, quod sit rationi speculatiuæ consona ita & legis bonitas eo quod si concors rationi practica: lex autem vetus, qua parte erat morum regula, egregie propellabat tum operum prauitatem, tum & cupidines cum ratione colluctantes. Decalogus n. ille, quem Deus Moysi in tabulis exarauit, compendium fuit substantiarum, & flos totius naturalis legis, quippe qui (ut quaestione 3. latius patebit) hominem & ad Deum referebat & cum hominibus conglutinabat, neq; solam manum, verum & corrent illo mandato compescerebat. Non concupisces rem proximi: ubi, non vxorem, &c. Vnde Paulus ad Romanos 7. Conscientia, inquit legi quoniam bona est, Et rursum, Condelegor legi Dei secundum interiorem hominem. Quo sane verbo ostendit legis virtutem eam fuisse, ut sensu libus cupiditatibus obsisteret, quæ exteriori, hoc est sensuali hominem deuehant. At vero quoniam legis sanctitas per ordinem ad finem expenditur, finis autem diuina legis non est sicuti humanæ, temporalis tranquillitas & quies reipublicæ, sed

Quinta ratio.

Paulus.

Prima conclusio.

Probatio.

Obiectio verificata dicitur.

Paulus.

Paulus.